





1769

15

DISSERTATIO IVRIS GENTIVM
DE
CAVSSIS BELLI
PRO ALIIS SVSCIPIENDI

QVAM
PRAESIDE

IOACHIMO GEORGIO DARIES

POTENTISS. BORVSS. REGI A CONSILIIIS INTIMIS, PHIL. ATQVE IVR.
DOCTORE ET IN ILLVSTR. VIADRINA PROF. PVBL. ORDIN. SOCIETATIS

SCIENTIARVM ET ARTIVM QVAE IN VIADRINA
FLORET PRAESIDE, ETC. ETC.

IN AVDITORIO IVRIDICO

D. MARTII MDCCLXVIII.

PVBLYCO ERVDITORVM EXAMINI

SVBICIT

IMMANVEL GOTTLOB WENTZEL

FRIDEBERGA-NEOMARCHICVS

L. L. CYLTOR.



FRANCOFVRTI AD VIADRVM
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI
ACAD. REG. TYPOGR.

ii of-
tam-
atum
atione
iam
fatis
ri et
adu-
a in
iam
tibi
uas
hoc
lor
A-
m-
ale,
lo-
co-

P. 107


11



TRACTATUS DE
C. A. W. S. S. I. S. B. E. L. L. I.
P. R. O. A. L. I. S. S. V. C. I. P. I. E. N. D. I.

IOHANNES G. I. O. D. A. T. I. S.

TO VARIO



IOHANNES G. I. O. D. A. T. I. S.





EXERCITATIO
DE
CAVSSIS BELLI
PRO ALIIS SVSCIPIENDI.

S. I.



Quaeritur, an iure, et quo iure bellum pro aliis *Rario in.*
possit geri. Dari fundamentum, ex quo *stirui,*
eam ad quaestionem legitima fuit responsio,
recte GROTIUS Lib. II. cap. XXV. de J.
B. et P. admonuit, hocque posuit, *quod uniusquisque per*
naturam et alieni iuris fit exsequutor, ex quo iustas bel-
li pro aliis, et quidem pro *subditis,* pro foederatis, pro
amicis

A 2

amicis et pro hominibus quibusvis suscipiendi causas deducit. Id vero fundamentum non a permultis solum falsissimum vocatum est, sed et iustas belli pro aliis suscipiendi causas contra naturam iuris, quod inter Gentes valet, limitatas posuerunt. Quaestio, quae et hodie mouetur, non de mundo ideali, sed de iure Gentium agit. Eam itaque rem ab origine primisque causis repetamus, et ita veritas rei, quam Vol. II. Obs. J. N. Observ. LXVII. delineavi, clara evadet atque perspicua.

§. II.

*Regula
dissentien-
tium pri-
ma*

Primo de regulis, e quibus dissentientes argumentati sunt, easque falsas esse demonstremus. Prima haec est: *Nobis non competit ius alterum cogendi nisi ea ratione, qua alter nobis perfecte obligatus est.* Magni faciunt hanc regulam, eamque argumentatione, quae sequitur, corroborant. Quum ius non oriatur nisi ex obligatione: sequitur, nos non habere ius alterum ad aliquid cogendi; nisi ad id, ad quod nobis obligatus est. Quare, cum obligatio vel perfecta vel imperfecta sit, et ex imperfecta, quae dat ius humanitatis, non oriatur ius cogendi; manifestum erit, ius alterum cogendi nobis non nisi ea ratione competere, qua nobis perfecte est obligatus.

§. III.

*quae vitio-
sa corro-
boratur
argumen-
tatione*

Accipe nunc vitia quae in argumentatione illa latent. Primum quod sumitur, omne nimirum ius alterum cogendi ex obligatione oriri, concedo; sed in eo, quod inde deductum est, latet fallacia. Obligatio enim aliorum er-
ga

ga nos est determinata obligationis species. Quare, cum a genere ad speciem determinatam non valeat consequentia: manifestum erit, ex eo, quod omne ius oriatur ex obligatione, non sequi, omne ius oriri ex obligatione aliorum erga nos. Durante bello hosti competit ius hostem interficiendi, hocce vero ius ex obligatione hostis erga hostem deducere, inconueniens erit. Hoc exempli loco dictum est. Porro falsum est, quod illa in argumentatione ponitur, obligationem esse vel perfectam vel imperfectam. Ea enim obligationis diuisio exhibet membra non in relatione ad obligationem, sed in relatione ad speciem obligationis, ad obligationem nimirum erga alios contradictorie opposita. Qua de re satis, vt opinor *Vol. II. Observ. I. N. Observ. XXXVII.* dictum est.

§. IV.

Eneruata itaque argumentatione, inquiramus in rei *et falsa est* veritatem. Euoluamus distinctam de iure cogendi notionem, reducamus eam ad genus, et adplicemus generatim dicta ad deducendas inde conclusiones, et manifestum erit, *iuris cogendi fundamentum non esse obligationem aliorum erga nos, sed eam obligationem, qua is, cui ius alterum cogendi competit, ad agendum ducitur.* Accipe dicti probationem. Habeo ius alterum cogendi, id est, saluis legibus alteri inferre possum mala. Alteri mala inferre aut mihi est finis actionis, aut medium, quod ad finem obtinendum ducat. *Primum* sumere, ius naturae, quod se aliosque perficere iubet, non permittit. *Alterum* itaque sumendum est. Ideoque ius cogendi est ius ad medium, quod ad fi-

A 3

nem

nem obtinendum ducat. Huncce finem existentem efficiere aut meis obligationibus conueniens est, aut repugnans. *Posterius* inconueniens esse, per se patet. *Prius* itaque locum habet, ideoque finem illum producere aut obligationibus meis non repugnat, aut ad finem eum efficiendum obligatus sum. *Si prius*, obligationibus meis non repugnat, finem illum omittere, ideoque non adest collisio, quae usum mediorum in se illicitorum permittit, ergo nec ius alteri mala inferendi, id est, ius cogendi inde descendit. *Posterius* itaque sumendum est. Posito hoc, finis ad quem efficiendum obligatus sum, aut sine mediorum coactiuorum usu, aut non nisi mediis coactiuis existens fieri potest. *Illo* in casu iterum collisio usum mediorum coactiuorum non permittit. Ergo nec datur ius cogendi. Vltimus itaque adesse debet casus. Ea argumentatio hanc ponit thesin: *Nobis non competit ius alterum cogendi, nisi in eo casu, quo finis, ad quem efficiendum obligati sumus, sine mediis coactiuis non fieri potest existens.*

§. V.

Fundamentum iuris cogendi affirmative.

Iam quaeritur: an ea ex obligatione ius cogendi legitime descendat. Affirmo. Ratio affirmandi est quae sequitur: Iniustum agit atque malum qui id suscipit, quod suae repugnat obligationi. Qui itaque determinatum ad finem efficiendum obligatus, is ad ea quoque media, per quae finis ille existens fieri potest, et sine quibus finis ille non potest esse existens, quae a philosophis vocantur *media sufficientia*, obligatus est. Ponamus, quod poni potest, ea media esse coactiua: consequens erit, illa ex obligatione

gatione descendere obligationem ad vsum mediorum coactiuorum. Posita obligatione ad aliquid faciendum vel omittendum, ponitur quoque ius idem faciendi vel omit- tendi (§. 3. obs. 36. ad J.N.) Nostra itaque ex obliga- tione ad determinatum finem efficiendum oritur ius ad me- diorum coactiuorum vsum, seu ius cogendi, quoties finis ille non nisi mediis coactiuis existens fieri potest.

§. VI.

Omne ius ex obligatione oriri, eo, quem antea cita- *Confecta-*
vi, loco, satis est demonstratum. Iura itaque habemus aut *rium.*
ea ex ratione, quia obligationi non repugnat, quae vocan- tur *iura permissiva*, aut ea ratione, quia obligati sumus, quae vocantur *iura praeceptiva*. Permissiuis renunciare possumus, minime vero praeceptiuis. Ius itaque cogen- di ex iure ad finem praeceptiuo descendit, quoties finis ille sine mediis coactiuis existens fieri nequit, (§. 5.) id est, ius cogendi iuris expletione oritur ex iure praeceptiuo ad finem.

§. VII.

Addo: *ex obligatione alterius erga nos, ius cogendi, Funda-*
quod nobis competit, deducere, inconueniens esse. Accipe *mentum*
rationem dicti. Alter mihi perfecte quoque sit obligatus. *iuris co-*
Hoc sumto id, quod alter per obligationem eam praestare *gendi ne-*
debet, mihi debet. Quoties scopum actionis in me ipso *gatine*
pono, toties non ago officium erga alios, sed officium erga *evoluitur.*
me ipsum. Manifestum inde est, ius cogendi non habere locum nisi eo in casu, quo adest collisio officiorum erga
me

me ipsum et erga alios. Quare, quum, quid iuris in collisione officiorum, agens non aliorum ex obligationibus, sed suis ex obligationibus inferre debet (§. 8. ff. obseru. 28. ad J. N.): manifestum est, ex obligatione alterius erga nos ius cogendi, quod nobis competit, deducere, inconueniens esse.

§. VIII.

*Regula
dissentien-
tium se-
cunda.*

Satis, vt opinor, de prima regula dixi. Altera, ex qua dissentientes argumentali sunt, haec est. *Non datur ius belli, nisi praeuia turbatione.* Eandem regulam §. 360. J. N. posui, sed eam non nisi cum limitatione, si nimirum sit bellum, quod quis suum in commodum extracatum necessitatis gerit, demonstraui. Qui regulam illam sine limitatione veram esse vocarunt, ea, quae sequitur, ratione argumentati sunt. Ius belli inuoluit ius cogendi. Ius cogendi nobis non competit, nisi ab altero id non praestitum, ad quod nobis perfecte est obligatus. Qui id non praestit, ad quod nobis perfecte est obligatus, nos turbat. Ius itaque belli non datur, nisi praeuia turbatione.

§. IX.

Quae ierum falsa est.

Sed et ea argumentatio vitiosa est. Paralogismus est. Sumitur enim pro vero, cuius veritas adhuc in quaestione est. Sumitur fundamentum iuris cogendi esse perfectam aliorum erga nos obligationem, quod nec satis probatum, nec verum est. Regulam inde deductam falsam esse, ea, quae sequitur, argumentatione probo. Bellum sic iuris cogendi exercitium. Ex eo itaque fundamento

mento oritur ius belli, ex quo ius cogendi descendit. Quia denique supra (§. 4. 7.) demonstrauius, fundamentum iuris cogendi, quod nobis comperit, minime esse obligationem aliorum erga nos, sed nostram obligationem: facile intelligitur, responionem ad quaestionem, an quis habeat ius belli, non ex eo deducendam esse, quia ab altero turbatus, sed suis ex obligationibus, quibus ad agendum ducitur.

§. X.

Tertia regula a dissentientibus sumta, haec est: Regula Par in parem non potest habere ius puniendi, certissimum ergo ^{dissentientium} _{tertia.} *est, neminem punire nisi superiorem.* De argumentatione, qua eam regulam corroborare voluerunt, facis, vt opinor, dixi Obs. XXV. obs. ad J. N. §. 9. seqq. Repetamus quaedam, quae in sequentibus vsui erunt. Argumentatio, qua vsi sunt, haec est: Quicumque alterum non potest obligare ad obedientiam, et qui alteri non potest leges praescribere, is ius puniendi non potest habere. Enimuero qui non habet superioritatem imperii, is non potest alterum obligare ad obedientiam, nec alteri potest leges praescribere. Ius itaque puniendi non est, nisi pars superioritatis imperii. Par ergo in parem non potest habere ius puniendi.

§. XI.

Illud autem hic quoque valet. Et paralogismus est ^{Et haec} ea argumentatio: et falsa est regula. Paralogismus est, ^{regula falsa est.} quia nec consequentia maioris legitima, nec propositio minor vniuersaliter vera. *Negauit consequentiam maioris.* Accipe

B

cipe

cipe rationem: Qui punit, is alteri mala infert ob moralem legum violationem. Ideoque in capite de fundamento iuris puniendi non quaeritur de causa legum, atque de causa obligationum. Ex quo manifestum est, ex eo quod quis non est causa legum, nec causa obligationum, minime sequi, eum non habere ius violatorem legum puniendi. Leges naturales atque obligationes non dependent ab imperante: Quis inde legitime inferre poterit, Imperantem non habere ius ob legum naturalium violationes puniendi. *Negavi* porro, *minorem esse uniuersaliter veram*. Et huius accipe rationem: Imperantem habere ius iis, qui sunt sub imperio, ferendi leges, eosque obligandi, concedo. Hoc vero loco quaeritur non de subiecto, sed de fundamento iuris. Sume, fundamentum iuris esse voluntatem, et ius illud inter effectus imperii erit. Sume porro, quod ob ea, quae supra demonstrata sunt, sumendum, fundamentum hocce esse obligationem eius, cui ius illud competit, et ius illud erit inter effectus iuris expletionis, quae latior est idea imperii.

§. XII.

Quae falsitas magis probatur.

Metuo, ne haec nimis abstracta videantur aliquibus, ideoque in illorum gratiam argumentum, quod thesin: *ius puniendi inter pares locum habere potest*, corroborat, repetamus. Ius puniendi est ius, quod ius alteris mala inferendi sub se complectitur. Quare, quum ius alteris mala inferendi non ex status qualitate, nec ex obligatione aliorum erga nos, sed iuris expletionem, ex iure praeceptiuo ad finem oritur; (§. 5. 7.) consequens est, idem quoque esse fundamentum.

damentum iuris puriendi, nisi eius differentia specifica fundamentum magis determinatum desideraret. Sed id desiderium hoc loco non sumendum esse, manifestum est ex poenarum fine, qui est, accretionem imperfectionum impedire (vid. obs. 40. obs. J. N.), ad quam impediendam homo, qua homo, obligatus est, ideoque ius habet. Oritur itaque ius puniendi ea ex obligatione, qua non superior solum, sed et homo ducitur, ideoque et inter pares locum habere potest. vide §. 10. ff. obs. 25. obs. J. N.

§. XIII.

Quarto dissentientes sumunt, bellum pro aliis sine mandato suscipiendum naturam habere interuentionis: Regula dissentientium quarta. Ideoque genti non concedendum esse ius, alteris bello interueniendi, nisi liquidum sit eius interesse. Accipe meam hac de re sententiam. Ius interueniendi tertio non concedendum esse, nisi eo in casu, quo demonstrauit, sua interesse, concedo. Nego vero bellum pro aliis iuste suscipiendum semper naturam interuentionis habere. Bellum, quod eam accipit naturam, est belli pro aliis suscipiendi species. Dantur quoque species ab illa diuersae. Ius naturae, quod inter gentes valet, officia erga se ipsum obseruanda diuidit in ea, quae a *caussa finali*, et ea, quae a *caussa impulsua* definiuntur. Bellum, quod priori ex *caussa* pro aliis suscipitur, naturam interuentionis habet. Minime vero bellum, quod pro aliis posteriori ex *caussa* geritur. Hoc enim est exercitium iuris, quod ex ea obligatione descendit, quae nos ad alios nostris viribus perficiendos ducit. Quo ex fundamento in statu ciuili *popularis actio*

actio cuilibet ex populo, cui per edictum postulare licet, datur: ita tamen, ut is, cuius interest, praeferatur: vide *L. 3. §. ult. ff. de popular. action.* quam actionem poenalibus merito adnumerat MAECIANVS *L. 32. ff. ad Leg. Falcid.* Conf. obs. LXVI. obs. J. N.

§. XIV.

Quoad rem ipsam duo distincti sunt.

Falso, quod in argumentis, quibus dissentientes vsi sunt, latitat, satis, ut opinor, demonstrato, veniamus ad rem ipsam, ostensuri nostro ex systemate, quaenam sint iustae belli pro aliis suscipiendi causae. Bellum pro aliis iuste suscipiens se iuris alterius executores gerit, id est, alterum de perfectione sua conseruanda et amplificanda studiosum armis iuuat. Qui itaque hanc quaestionem tractant, inquirere debent *primo* in requisita eius, pro quo bellum suscipitur, et *deinde* in requisita eius, qui bellum pro aliis suscipit.

§. XV.

Primo requisita eius pro quo bellum suscipiendum.

Requisitorum eius, pro quo bellum iuste gerendum, *primum* est, ut sit obligatus ad finem, quem alter bello efficere cupit, efficiendum: *secundum*, ut habeat ius ad finem eum media quoque per coactiua obtinendum, et *tertium* ut vires eius ad propositum finem perueniendum non sufficiant. *Primum* sequitur ex eo, quod ius cogendi non oritur nisi ex obligatione. *Alterum* inde manifestum est, quod tale bellum ius alterius armis exercet. *Tertium* ex iis patet, quae ius naturae de auxilio alteri ferendo docet.

§. XVI.

Manifesta inde est regula fundamentalis, quae sequitur: *Quo in casu quis non habet ius cogendi, eo quoque in casu ab altero bellum pro eo iuste non potest suscipi.* Ex quo regula fundamentalis. Quae ex regula legitime negatiua fuit responsio ad quaestionem: an bellum recte geratur pro subditis alienis, si scilicet ab imperante suo opprimantur et iniuste vexentur? Subditos enim in relatione ad Imperantem suum, cuius voluntati se semel submiserunt, non habere ius cogendi, et ius vim vi repellendi, *lex de non resistendo superiori*, quam et ratio et sacrae Litterae tam e salute generis humani, quam ex ordinatione divina probant, *vide GROTII J. B. et P. Lib. I. Cap. IV. §. 2. ff.* ea docet ratione, qua res sine villa ponitur dubitatione.

§. XVII.

Sunt quidem, qui putant, ea ex lege de non resistendo superiori sequi solummodo, subditos cum principe suo bellum non posse gerere, minime vero inde sequi, alios, qui non sunt subditi, bellum pro iis non posse suscipere. Argumentum in contrarium adducitur. Quam ad sententiam corroborandam sumunt, impedimentum, ob quod subditis non competit ius belli aduersus imperantem suum, qui est tyrannus, esse tantum personale: id est, causam belli non esse iniustam, sed tantum personas belli incapaces. Porro: ubi impedimentum personale tantum est, ibi pro persona alios gerere posse. Quod exemplo docent de pupillo, qui ipse contra tutorem suspectum agere nequit; sed alii iure agunt.

*Ad quod
responde-
tur.*

Sed *primo* nego consequentiam. Accipe dicti rationem. Consequentiam non esse legitimam, sic ostendam. Pupillus ratione tutoris non renunciauit iuri contra eum agendi, sed leges tantum ciuiles non permittunt, vt ipse ius suum exerceat, qua ex causa talis est, pro quo alii possunt agere (§. 15.). Sed lex de non resistendo superiori docet, subditos ratione imperantis suo iuri cogendi renunciaisse, ideoque eos esse tales, qui ius cogendi contra imperantem suum per alios non possunt exercere (§. 15.). Illo itaque a casu ad huncce illegitime concluditur. *Secundo* nego, impedimentum illud esse personale, est enim impedimentum, quod ipsa subiectionis natura ponit. *Tertio* nego propositionis inde illatae veritatem. Argumentum, quod negationem eam corroborat, est quod sequitur: Ponamus bellum, quod gens pro subditis alienis, si scilicet ab imperante suo opprimantur et iniuste vexentur, suscipit, esse iustum; consequens erit, gentem eo bello aut ius, quod subditis alienis, pro quibus susceptum, competit, aut suum ius exercere. Sed vtrumque falsum est. Subditi enim alieni eo in casu, qui sumitur, non habent ius cogendi (§. 16.), ergo nec fieri potest, vt hocce ius per alios iuste exerceant. Primum itaque consequens est falsum. *Porro:* Gens eo in casu, quem posui, non habet ius belli. Ius enim belli est ius cogendi, quod non nisi ex obligatione descendit (§. 4. ff.), sed Imperantem alienae gentis eo, quem posui, in casu cogere, est contra obligationem, qua gentes ducuntur. Inter leges enim, quibus salus gentium continetur, primo loco haec refertur:

non

non deroges legi de non resistendo superiori. Ergo et alterum consequentis membrum est falsum. Falsum itaque est antecedens. Ideoque Bellum, quod gens pro subditis alienis in eo, qui sumtus est, casu suscipit, semper iniustum est.

§. XIX.

Absolutis, pro hoc scilicet instituto, requisitis eius, *Deinde requisita eius, qui pro aliis bellum suscipere potest, primo quoad causam.* pro quo bellum iuste geri potest: restat de requisitis eius, qui bellum pro aliis iuste potest suscipere, tractatio. Huius ratione distingenda esse, credo, requisita causae, a requisitis personae. Quoad primum hanc pono regulam fundamentalem: *finis, ad quem efficiendum quis pro aliis iuste suscipit bellum, non legibus solum conveniens, sed et talis esse debet, qui sub coactione, id est, qui mediis quoque coactiuis existens fieri potest.* Primum, quod ea in regula sumitur, legitimum est constitutum ex eo, quod ius cogendi non descendit nisi ex obligatione, obligatio vero ad id, quod legibus repugnat, nulla est. *Aalterum fluit ex sapientiae notione, quae non permittit, media eligere naturae finis repugnantia.*

§. XX.

Qua ex regula legitime fluit responsio ad quaestionem: an religionis atque morum diversitas iusta sit belli causa? Distinguamus quaestiones, quae ea in quaestione latent. *Prima, an quis iuste alterum cogere possit, ut suam ad religionem accedat: Secunda, an armis iuste efficiendum, ne quis a fide Deo hucusque data deficiat: tertia, an quis ecclesiam aduersus aggressores iustis defendere possit.* *Ex quo ad quaestionem de religionis diversitate respondetur.*

re possit armis. *Quod primum attinet*, bellum quod ea ex causa geritur, iniustum est. Quum enim religionis, qua talis, fundamentum sint actus intellectus, qui non sub coactione; sequitur, consensum in religione non esse finem, qui mediis coactiuis existens fieri potest, ideoque ea ex causa bellum pro religione suscipere, idem est, ac sapientiae ideoque iustitiae repugnare. (§. 19.). *Quoad alterum*, eiusmodi bellum inter iusta referri posse, iterum nego. Qui enim a fide Deo hucusque data deficere cupit, is sumendus est ut talis, qui falsi convictus. Qui itaque armis efficere cupit, ne ille a fide Deo hucusque data deficiat, is alterum, ut contra conscientiam agat, vult cogere. Quare, quum contra conscientiam agere idem sit, ac Deum ipsum contemnere ac ludibrio habere: consequens est, bella, quae pro religione, ea ex causa, suscipiuntur, esse iniusta. (§. 19.). *Quoad tertium*, aliter sentiendum esse censeo. Iisdem enim ex principiis, e quibus supra argumentati sumus, legitime fluit, eum qui religionem, cui dediti sumus, aggreditur, nos turbare. Turbationibus vero non vi solum resistere possumus, sed et prima iuris naturalis principia turbato dant ius, turbatori armis resistendi.

§. XXI.

Monitum.

Ne vero ista in falsum interpretentur, qui non ad argumenta, quibus corroborentur dicta, attendunt, monendum erit, religionem ab actionibus, ad quas suscipiendas dogmata religionis, quae sumta est, movent, distinguendam esse. Religio, qua talis, non est sub coactione, ideoque non est causa belli, ponamus vero religionem, quae

quae sumta est, talia inuoluere dogmata, quae actiones efficiunt, quibus alii in vsu atque possessione iurium iuste adquirentium turbantur; ea religio naturam religionis amitteret, et inter systemata, quae sunt latrocinii fundamentum erit referenda. Quam per causam alteri ea ex religione ius cogendi, ideoque ius belli oritur. Dabo exemplum. Ponamus religiosos talia docere, quae legi de non resistendo superiori derogant. Quid inde? summa rerum publicarum inseguritas, magna latrocinia, et quae sunt reliqua. Contradictionem itaque inuoluet, ea dogmata, eos religionis rationi repugnantis effectus ab iis, quae dant ius cogendi, a iustis belli causis excludere.


§. XXII.

Tandem de requisitis eius, qui bellum pro aliis iuste suscipere potest, ratione qualitatis personae inhaerentis: Eorum *primum* est, *ut habeat ius armorum*. Evoluas principia, quae ius naturae de iuris cogendi docet exercitio, ex quibus patet: *primo*, fieri posse, ut quis ius suum cogendi exerceat et sua vi, et alterius auctoritate: *deinde*, *huncce* exercendi modum constitutum esse et per relationem subiectionis, et per actus, quibus quis libertati naturali renunciauit: *illum* vero esse libertatis naturalis, quae libertas *ius* vocatur *armorum*; et facile concedes, propositionem, quam summi immediatum esse consequens ex scopo. Qui enim finem quandam bello efficere cupit, is ius suum sua vi vult exercere. Ideoque aut in eo est statu, quo libertate gaudet naturali, aut in eo, quo huic renunciauit. Sumas posterius, et consequens erit, eum agere

Requisita
ratione
qualitatis
personae.
Primum

C

sine



sine iure, ideoque iniuste. Prius itaque esse debet. Quare, quum libertas ea naturalis sit ius armorum; manifestum est, eum pro aliis bellum iuste non posse suscipere, qui non habet ius armorum.

§. XXIII.

*huius usus
demon-
stratur*

Vsum demonstrati declarabo. Quaeritur: an *in forma democratica pars sine vniuersi conclusio pro ciuitate bellum iuste possit suscipere?* Id nego, et recte quidem. Nam ex natura formae democraticae manifestum est, partem renunciaisse libertati naturali in fauorem totius, ideoque partem non habere ius armorum, sed hoc in totum populum, ideoque in vniuersam ciuitatem esse translatum. Pars itaque, quae pro ciuitate, sine vniuersae conclusio, arma capit, sine iure agit ideoque iniuste (§.22.).

§. XXIV.

Alterum

Alterum requisitum est, *ut sit obligatus eum ad finem efficiendum, quem bello efficere cupit.* Accipe et huius probationem. Supra §. IV. ff. satis, ut cenfeo, demonstratum est, ius cogendi non oriri nisi iuris expletione ex obligatione ad finem, mediis coactiuis efficiendum. Bellum, quod sine iure cogendi geritur, iniustum esse, per se patet. Iniustum itaque erit bellum, quod pro aliis ab eo suscipitur, qui non eum ad finem efficiendum obligatus est, quem bello pro aliis suscepto efficere cupit.

§. XXV.

*quod ex-
plicatur*

Illud autem hic quoque admonendum est, quando recte dicatur, alterum ad finem eum esse obligatum. Valebit

bit enim et hoc ad solvendas difficultates nonnullas. Sy^{obligatio-}
stema iuris naturalis *obligationes* etiam erga alios in *genera-*
les et *speciales* dividit. Fundamentum distinctionis latet in *li.*
fonte, ex quo obligatio fluit, hic aut est humanitas, aut
status atque relatio, quae ea, quae ex humanitate fluunt,
magis determinant. Regula, ex qua responsio fluit, quo-
ties de prioribus obligationibus sermo est, haec est: *Quan-*
tum per se fieri potest tuis perfectionibus alios perficias. Ho-
mo enim sic homini Deus.

§. XXVI.

Quaeritur: *an ea ex obligatione generali, quae Ex qua*
ex communi vinculo humanitatis nascitur, ius belli pro iur belli
aliis suscipiendi legitime descendat? Affirmo, et qui *pro aliis*
dem recte. Sunt quidem, qui affirmant: Regulam eam *suscipien-*
non esse iustitiae, sed honesti. Ex quo inferunt, virtu-
tis esse, non iustitiae, alios defendere, ideoque coactio-
nem respuere. Sed ea, quae supra §. II. usque ad VIII.
evoluta sunt, argumentationem eam et in materia et
in forma peccare, satis, ut opinor, probant. Ideoque
mittamus ea in contrarium adducta, in rationes affirmandi
inquisituri. *Primo* sumendum est, reliqua iusti pro aliis
suscipiendi belli requisita adesse, ea nimirum, quae ratione
eius, pro quo bellum iuste gerendum, de quibus supra
§. XV. usque ad XVIII., ea, quae ratione causae, ob
quam bellum pro aliis suscipiendum, de quibus supra §.
XIX. usque ad §. XXI., et primum, quod ratione quali-
tatis eius, qui bellum pro aliis iuste suscipere possit, de
quo §. XXII. et XXIII., adesse debent. *Deinde* sumen-
C 2 dum

dum est, obligationem eam, quae ex communi humanitatis vinculo nascitur, et quae est fundamentum officiorum erga alios, quoties ea officia ex causa finali definiuntur, obuio in casu manere, et per collisionem, quae inter officia erga se ipsum et erga alios adest, non cessare. Qui dicunt, eam obligationem in tali collisione semper cessare, quia officium erga proximum officii erga se ipsum semper postponendum, sciant, eam regulam falsissimam esse. Manifestum enim est ex iuris naturalis systemate, officia erga se ipsum et erga proximum non esse subordinata, sed coordinata, ideoque facile fieri posse, ut per ideam perfectionis sit necessarium, nostro incommodo atque periculo aliis ferre opem. *Conf. Obs. L. Obs. Iur. nat. His itaque sumtis*, quae ad sumendum posita sunt, facile erit probare, *ex obligatione ea generali ius belli*, de quo hoc loco sermo est, *legitime descendere*. Quum enim obligatio ea generalis, ad alios nostris perfectionibus perficiendos maneat: consequens erit, nos eo in casu non ius solum, nostris viribus alios perficiendi, habere; sed et idem esse iuris praeceptiui, cui non possumus renunciare (§. VI.). Ex quo argumentor: Ius praeceptiui ad finem dat ius cogendi quoties finis ille est talis, qui mediis coactiuis existens, et sine mediis coactiuis non fieri potest existens. Sed finis, quem obuio in casu bello efficere cupimus, est talis, quod ex requisitis, quae sumta sunt, patet. Ergo et ius illud ad finem praeceptiui obuio in casu nobis dat ius cogendi. Ex eo, quod quis habet ius cogendi, legitime fluit, ut quoque habeat ius belli, quoties sit talis, qui libertati naturali non renunciauit, id est, qui habet ius armorum

morum (§. XXII.). Sed per ea, quae sumta sunt, manifestum est, nos obvio in casu esse tales. Ergo et ius illud praeceptum ad finem nobis legitime dat ius belli. Iustum itaque erit bellum, quod ea ex causa pro aliis suscipitur.

§. XXVII.

Ea obligatio generalis specialis, ideoque grauior fieri potest, per diuersos status, diuersasque relationes, ex quibus nimirum rationes ad alios nostris viribus perficiendos legitime fluunt. Huius ratione notanda est regula: *Quoties ius belli pro aliis suscipiendi ex obligatione quadam speciali descendat, toties necesse est, ut obligatio ea specialis obligationem illam generalem, ex qua tale ius nascitur, involuat.* Obligatio-
num speci-
alium re-
gula fun-
damenta-
lis. Quum enim obligationes generales conceptum eum genericum exhibeant, ex quo obligationes speciales, determinationis ope descendunt (§. XXV.); manifestum est, contrarium eius, quod positum est, sumere, idem esse, ac species ponere sine genere. Id quod absurdum est.

§. XXVIII.

Relatio illa et realis et personalis esse potest: Realis, cuius fundamentum est *terrarum situs*. Huc pertinent *primo*, quae ex vicinitate fluunt. Facile enim fieri potest, ut tunc mea res agatur, paries si proximus ardet. *Deinde* quae se ad commercia referunt. Status enim commerciorum, qui inter causas, per quas gentium determinatur potentia, merito refertur, a ratione vitae atque

Quae ad
commoda-
tur ad re-
lationes
gentium
reales.

que consuetudine gentium, quae res rationesque cum se inuicem contrahere possunt, id vero, an fieri possit, a situ terrarum dependere, manifestum est.

§. XXIX.

atque per-
sonalis

Personalis gentium ad se inuicem relatio aut ex foederibus, aut ex amicitia siue cognatione siue affinitate constituta, sumit fundamentum. Qui foederato fert opem in foedere promissum, is nemini facit iniuriam. Foedus enim est pactum. Ideoque id agit, ad quod ex pacto obligatus est. Inde ius praeceptuum ad finem, ideoque ius bellum pro foederatis suscipiendi. Pro amicis idem licere, quod pro foederatis, ex eo, quem de amicitia habemus, conceptu immediatum est consequens. Et quae reliqua.

§. XXX.

Monitum

Tantum quaeritur: an ad obligationem illam generalem motiua accedere possint, quae ad propagandam ecclesiam ducunt? Nego. Quidquid enim non est iusta belli causa, id nec ius ad bellum pro aliis suscipiendum dare potest (§. XIX.). Sed religionis diuersitas inter iustas belli causas non refertur (§. XXI.), contra itaque obligationem eam generalem, quae ex vinculo humanitatis communi nascitur, ideoque iniuste agit, qui ad propagandam ecclesiam aut bellum pro aliis gerit, aut reges ad eiusmodi bellum concitat. Ecclesia quidem est in imperio, sed non est imperium, et episcopus non sit percussor.

§. XXXI.

§. XXXI.

Paginae non permittunt, ea, quae hac de re in thesi *Conclusio*.
euoluta atque demonstrata sunt, exemplis e factorum nar-
rationibus exscriptis illustrare atque docere. Hoc fiat alio
tempore. Quum praeterea facta non dent ius, sed iura
rei ex natura haurienda sint, ea quae hac de re dicta atque
demonstrata, pro scopo SATIS.



POSITIONES CONTROVERSARUM.


I.

Is nouam docet ratiocinandi regulam, qui ex §. 12.
Inst. de R. D. et L. 3. pr. ff. de Adq. Rer. Dom., quibus
id, quod nullius est, naturali ratione occupanti concedi-
tur, colligit: Quidquid per occupationem acquiritur
id est res nullius. Veteres enim a negatione subiecti
ad negationem praedicati, et a positione praedicati ad
positionem subiecti non argumentati sunt.

II.

L. 23. pr. ff. de adq. vel amit. poss. ea ponitur sententia:
cum heredes instituti sumus, edita hereditate omnia quidem
iura ad nos transferant; possessio tamen nisi naturaliter
comprehensa ad nos non pertinet. Concludas inde: adi-
tionem non esse occupationem, et manifestum erit, te-
nec naturam dominii nec naturam occupationis intelli-
gere.

III.



III.

Si obiectum iuris realis semper sit res a personis distincta, quia reale a re dicitur; obiectum iuris personalis semper erit persona a re distincta, nam personale a persona dicitur. En theoriam iuris sane ridiculam.

IV.

Sumas, iuris expletionem et titulum iustam esse synonyma, et sumendum erit, synonyma quoque esse genus et speciem.

V.

Veteres legere, et ea, quae a veteribus dicta, promulgare, laudandum est: magis vero laudandum, iisdem ex fontibus, natura nimirum et ratione, haurire, e quibus veteres hauserunt.

VI.

Veri Eruditi character essentialis est, alios prae se non contemnere.

VII.

Metaphysica et systematica tractatio non habent osorem nisi ignorantem. Bene ergo CORNEL. MARTINI in praef. Metaph. *Pereant illi, quotquot iuventutem nostram hisce tam salutaribus armis exuunt, et nudos violentissimis hostibus obiciunt.*

VIII.

Philosophia obiter libata a Deo abducit, penitus hausta ad eundem reducit.

 NOBI-

NOBILISSIMO
DOMINO RESPONDENTI

S. D. P.

PRAESES.

Non thema solum, quod ad publice defendendum elaboratum, permulta exhibet capita, quae in controuersiam uocata, sed et ipsa ratio atque uia, qua meditatio procedit, a genio seculi aliena uidetur. *Causam* itaque NOB. DOMINE RESPONDENS reperisti eas publice demonstrandi facultates, in inuestiganda ueritate, in diiudicandis controuersis, in perspiciendo ueritatum nexu a TE acquisitas. Age! praesta TE uirum, praesta TE eruditum ueritatis et systematicae tractationis defensorem, et primus ero, qui TIBI hosce honores publice ex animo gratulatur, uale et prospere TIBI eueniant

omnia.

D

DOCTIS.



DOCTISSIMO DIGNISSIMOQVE HVIVS
DISSERTATIONIS DEFENSORI

S. D. P.

GVILIELMVS CHRISTOPHORVS PENTZ

STETIN, IVRIVM CVLTOR OPPON. ORD.

Quantam ad dirimendas gentium lites vim habeat ius illud, quod omnes inter homines natura constituit, hi demum intelligent, qui optimam primis degustasse labris scientiam, haud contenti fuere. Quare cum maxima TVA fortuna contigerit, ut Illustrissimo Praeside duce Praeceptore aeternum colendo sanctissimi iuris adyta intraueris, non possum non summo pere TVVM comprobare consilium, cum adeo illustrem interque gentes agitatam controuersiam proferre in cathedram, ibique suis ab obiectionibus liberare decreueris. Gratulor TIBI hisce de profectibus, tantae grauitati rei certissime responsuris, gratulor patriae optimo de ciue, parentibusque tali de filio. Denique et mihi gratulor, quem aduersarium tantae materiae parem, honorifice existimasti, eaque de re maximas, quam possum, gratias ago. Vale, Dignissime Respondens, neque me unquam amare desine. Francofurti
cis Viadrum die XI. Martii

MDCCLXVIII.

VIRO

VIRO IUVENI DOCTISSIMO
DISSERTATIONIS DEFENSORI

S. P. D.

G. L. A. A. MÜNCHOW

OPPONENS.

*D*issertationis, quam ex cathedra defensurus es argumen-
tum, sublimitate ac utilitate sua mira, artis peritis omnibus
se se commendat, osoremque sane neminem, nisi ignorantem,
habet. Nihil itaque TIBI maiori cedere poterat honori,
quam huiusmodi materiae tractatio, atque defensio virilis,
quam TIBI gratulor ea, qua par, est, animi sinceritate.
Voluntati TVAE satisfacturus dissentientis vice fungar, non
ut, qui vix Philosophiae altioris indaginis initiatus sacris
eruditionis ubertatem atque praestantiam ostentem, sed potius
ut disputando cognitionem firmiorem atque stabiliorem red-
dam. Redear ad lares sartus rectusque, reipublicae bono
partim in Academia doctrinam accommodes, atque ut cuncta,
fausta TIBI eueniant opto. Dabam Francofurti
ad Viadrum, die xi. Martii

MDCCLXVIII.

NOBI-



NOBILISSIMO
DOMINO RESPONDENTI

S, P, D,

A. I. SCHVLZ

POMER, I. V. CAND.

DISS. OPP. ORD.

Omniū hominū communis haec natura ac indoles est, ut suam pro facultate felicitatem acquirere, et acquisitam conseruare velint; mediis autem ad hunc finem obtinendum prorsus diuersis vtantur. Sunt enim qui in eligendis eis regulas rectae rationis sequuntur, sunt et, qui media Tanquam finem vltimum considerantes stulte agunt. Priorum numero non immerito accensendus es, respondens nobilissime cum, quam vtilis tibi fuerint Dariesianae lectiones, specimen in praesenti ob oculos nobis propositum luce clarius demonstrat. Gratulor TIBI itaque de fine vitae academicae, quem tam feliciter emetitus es! gratulor ciuibus, quorum rebus, TVIS in iuris prudentia profectibus, aliquando succurrere, et patriae prodesse poteris. Seruet te Deus! nec felix immemoris amicorum. Val. ha.



ULB Halle

004 393 171

3



f TA → d
nw 7+ 10 Schild verknüpft







1769

15

DISSERTATIO IVRIS GENTIVM
DE
CAVSSIS BELLI
PRO ALIIS SVSCIPIENDI

QVAM
PRAESIDE
IOACHIMO GEORGIO DARIES
POTENTISS. BORVSS, REGI A CONSILIIIS INTIMIS, PHIL. ATQVE IVR.
DOCTORE ET IN ILLVSTR. VIADRINA PROF. PVBL. ORDIN. SOCIETATIS
SCIENTIARVM ET ARTIVM QVAE IN VIADRINA
FLORET PRAESIDE, ETC. ETC.

IN AUDITORIO IVRIDICO
D. MARTII MDCCLXVIII.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBIIICIT
IMMANVEL GOTTLOB WENTZEL
FRIDEBERGA-NEOMARCHICVS
L. L. CYLTOR.



FRANCOFVRTI AD VIADRVM
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI
ACAD. REG. TYPOGR.

